Actum in Proszowice In Terminis Terrestribus Feria Secunda post Dominicam Reminiscere proxima Anno Domini Milesimo Sexcentesimo Quadragesimo Septimo

Oblata privilegii renovati super nobilitatem Miklaszewskich serviens

Ad iudicium actaque presentia terrestria Proszowiensia personaliter veniens generosus Stephanus Dembinski circa expeditionem causarum suarum in terminis praesentibus debitarum obtulit eidem iudicio praesenti litteras infrascriptas sacrae regiae maiestatis renovatorias super nobilitatem infrascriptorum Miklaszewskich gratiose datas, sigillo regni maioris cancellariae communitas manuque propria sacrae regiae maiestatis subscriptas, omni suspicionis nota carentes, petens easdem a se offerente suscipi et in acta praesentia inserere admitti. Cuius affectationi iudicium praesens benigne annuendo, easdem litteras sacrae regiae maiestatis ab eodem offerente suscepit et in acta praesentia inserere demandavit iuxta tenorem infrascriptum talem.

Sigismundus tertius Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque, nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hereditarius rex.

Significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest, universis et singulis, quod cum nobis per certos consiliarios nostros expositum esset, defunctum olim nobilissimum Stanislaum Miklaszewski propter ipsius servitia militaria quae in expeditionibus bellicis, tam tempore serenissimi regis Stephani antecessoris nostri, quia etiam nostro strenue praestitit, propter nos cum consensu omnium ordinum regni in comitiis regni generalibus nobilitatis titulo donatum et equestri ordini adscriptum esse, sed privilegium quo eiusmodi gratia nostra continebatur cum nullibi actis publicis insertum et insinuatum esset, casu quodam fortuito amisisse, nec litteris suis reliquisse, extare tamen in recenti nonnullarum illustrium personarum memoria, rem hanc non aliter se habere, praedictumque Stanislaum Miklaszewski pro nobili ab omnibus habitum esse, prout quidem producte coram nobis fuerunt certe litterae aut gratiae ex actis castrensis Noviae Civitatis Korczyn desumptis quibus generosus Ioannes Firley de Dąbrowica, tenutarius smidinensis, filius olim generosi Andreae Firley de eadem Dąbrowica, castellani radomiensis, capitanei koveliensis, bonorum Woyca[1] et aliorum eo pertinentes haeres, ad acquisitionem Pauli et Alberti Miklaszewskich filiorum praefati olim Stanislai Miklaszewski recognovit et attestatus sub illud tempus, quo generosus olim Fridericus Bonar de Balice, magnus procurator arcis cracoviensis, capitaneus rabstinensis, vixit, defunctum Stanislaum Miklaszewski à

[1] „Przykładem może tu być sprawa zajęcia przez kasztelana radomskiego Andrzeja Firleja w końcu XVI w. gruntów królewskich w Puszczy Mędrzechowskiej starostwa korczyńskiego i założenia na tych gruntach własnej wsi Skrzynka, co doprowadziło do zbrojnego starcia pomiędzy oddziałami Firleja i Stanisława Ligęzy, starosty opoczyńskiego, a siłami broniącego dóbr królewskich starosty korczyńskiego, marszałka w. koronnego Zygmunta Myszkowskiego (zob. W. Pałucki, Drogi i bezdroża skarbowości polskiej XVI i pierwszej połowy XVII w., Warszawa 1974, s. 18, przyp. 187; tam omyłkowo wymieniony Stanisław Cikowski jako bezprawny osadźca wsi Skrzynka). Aneksję tych terenów rozszerzyli wkrótce A. Firlej i jego syn Jan. W r. 1618 „dali sprawę poddani [z Mędrzechowa] Króla JM, że Skrzynkę, Wojcinę i Laskówkę zasadził p. Jan Firlej na własnym gruncie Króla J.Mci Mędrzechowskim, gdzie przed tym antecesserowie Króla JMci Pana naszego łowy odprawowali" (ASK XLVI, 99 B, s. 846)." - Pałucki, Władysław „Przynależność własnościowa osad" in Pałucki, Władysław (Hrsg.) Atlas historyczny Polski. Województwo sandomierskie w drugiej połowie XVI wieku, Część II - komentarz, indeksy, Warschau: Polska Akademia Nauk, Instytut Historii; Wydawnictwo Naukowe PWN, S. 89 ISBN: 83-01-09842-2.

praefato Friderico Bonar pro nobili habitum et vocaturque, eoque titulo nobilitatis insignitum fuisse.

Supplicatum itaque nobis esse ut praedictos Paulum et Albertum Miklaszewskie circa eandem gratiam parenti illorum et ipsius posteritati per nos concessum conservare eaque prerogativa ac titulo nobilitatis condecorare et insignire dignaremur. Nos senatorum regni nostri et nuntiorum terrestrium in modernis generalibus comitiis regni congregatorum intercessione tum et praedictis litteris testimonialibus permoti, et supplicationi praefatorum fratrum germanorum Miklaszewskich annuentes, litteras seu privilegium nobilitatis patri eorum concessum et casu fortuito amissum renovamus, ipsosque ac eorum legitimos successores nobilitati regni nostri antea adiunctos et aggregatos adiungimus, aggregamus ac incorporamus atque pro veris nobilibus in regno Poloniae dominiisque nobis subiectis censeri, haberi, reputari et ad omnes immunitates, libertates, prerogativas, dignitates, honores, beneficia, superiora et inferiora officia ecclesiastica et saecularia praecipienda et recipienda, bonaque terrestria possidenda aptos, habiles, idoneos esse ex gratia et authoritate nostra regia volumus et iubemus ac ut armis Ostoia dictis quibus pater ipsorum utebatur utantur permittimus. Ita tamen ut praedicti fratres germani Paulus et Albertus Miklaszewsci iuramentum corporale coram officio castrensi, capitaneali, chencinensi super amissionem literarum nobilitatis patri ipsorum collatum praestent.

Quod quidem universis et singulis regni dominiorumque nostrorum hominibus praesertim ut equestris ordinis nobili genere natis, tam publices functiones aut magistratus gerentibus, quam privatis quibusvis, praesentibus literis nostris denuntiamus et nostra regia authoritate mandamus ut praedictos nobiles Miklaszewskie cum ipsorum haeredibus utriusque sexus ab ipsis legitime descendentes pro veris nobilibus habeant locumque illis tam in generalibus publicis maioribus quam etiam particularibus[2] conventibus regni nostri concedant, ius sententiae et suffragii permittant, armis super positis et insignibus eos uti, honores item et dignitates, officia tam spiritualia quam saecularia, ad quae regni nostri nobilibus ab avis et atavis longa propagatione procreatis patet aditus, ipsos eorumque successores adire, iisque frui et gaudere libenter patiantur, in eoque verae virtutis esse amatores comprobent. Si quis vero illis aut posteris ipsorum palam vel occulte obtrectare aut de nobilitate ac hoc stemmate detrahere ausus fuerit, eum nos poenis legibus regni descriptis puniri volumus et easdem poenas contra tales obtrectatores extendi debere statuimus.

In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri iussimus.

Datum Varsaviae in conventione regni generali die XXIV mensis Martii anno Domini MDCXVIII. Regnorum nostrorum, Poloniae XXXI, Suetiae vero XXV anno. Praesentibus reverendissimis, reverendis, illustribus, magnificis, generosis et venerabilibus ac nobilibus: Laurentio Gembicki gnesnensi, legato nato[3] et regni nostri primate, Andrea Pruchnicki leopoliensi archiepiscopis, Martino Szyszkowski cracoviensi, Paulo Wołucki kuiaviensi,

---

2 W ziemiach lub województwach – powstałych z dawnych księstw dzielnicowych – zbierały się zjazdy dygnitarzy ziemskich i szlachty. Dla zjazdów tych, określanych jako partykularne, utarła się rychło nazwa sejmików ziemskich – conventiones terrestres. Źródło: Wojciech Kulisiewicz, Błażej Popławski, 550-lecie parlamentaryzmu Rzeczypospolitej, Warszawa: Biblioteka Sejmowa, Wydawnictwo Sejmowe, 2018, s. 3. Dostęp online: https://biblioteka.sejm.gov.pl/wp-content/uploads/2019/04/folder-PL.pdf.

3 Legatus natus - legat "urodzony" - tytuł obecnie wyłącznie honorowy, nadawany dawniej biskupom ważniejszych diecezji. Tytuł noszony przez biskupów m.in. Kolonii, Salzburga, czy wreszcie, od 1515 prymasów Polski.

Eustachio Wołowicz vilnensi, Henrico Firley de Dąbrowica płocensi, Andrea Lipski luceoriensi procancellario regni, Andrea Siecinski przemisliensi, Ioanne Kuczborski culmensi, Georgio Zamoyski chelmensi, Adamo Nowodworski camenecensi episcopis, Nicolao Zebrzydowski pallatino ac generali cracoviensi, sniatynensi ut capitaneo, Ioanne Ostrorug posnaniensi et garuoliensi, Zbigneo Ossolinski sandomiriensi, stanisłavoviensi, Stanislao Bykowski siradiensi, Adamo Sendivogio a Czernkow łanciciensi Maioris Poloniae generali, Michaele Działyński brestensi, gniewensi, nieschowiensi, Ioanne Gostomski de Lezenice inovladislaviensi, valecensi, warecensi, Ioanne Danielowicz Russiae, Nicolao Hlebowicz smolenscensi, Petro Firley de Dąbrowica lublinensi, parcoviensi, Thoma Gostomski de Lezenice Masoviae, varssaviensi, ryczwolensi, Niemiera Podlachiae, Stanislao Radzieiowski ravensi, sochacowiensi, Ostafiano Tiskiewicz brestensi, camenecensi, Nicolao Sapieha minscensi pallatinis et capitaneis, Nicolao Firley de Dąbrowica woynicensi, lublinensi, Luca Mielzynski gnesnensi, Martino Krasicki leopoliensi, premisliensi, bolimoviensi, Venceslao Kielczewski landensi, Stanislao Lasocki małogostensi, Iacobo Gawronski vielunensi, Adamo Kossobucki wysogrudensi, łomzensi castellanis et capitaneis, Nicolao Wolski de Podhaiec suppremo regni marschalio, olstynensi, rabstynensi, Stanislao Żołkiewski de Żołkiew suppremo regni cancellario, exercituum generalis, barnensi, camionacensi, Leone Sapiecha M.D.L. cancellario, mohylowiensi, Hieronimo Wołowicz M.D.L. vicecancellario, Nicolao Daniłowicz thesaurario regni, samboriensi, czerwonogrodensi, Andrea Przyiemski marschalio curiae, junivladislaviensi, Christophoro Radziwil duce in Bierże et Dubinki, exercituum campiductori M.D.L., Iacobo Zadzik secretario maiore regni, praeposito cracoviensi, custode varsaviensi, Hieronimo Cielecki referendario regni, płocensi ac sancti Michaelis in Arce cracoviensi praeposito, Ioanne Węzyk abbate mogilensi, Mathiae Lubienski praeposito miechowiensi, Stanislao Lubienski praeposito gnesnensi, cracoviensi, Achaio Grochowski cantore gnesnensi, cracoviensi canonicis et secretariis nostris, Georgio à Zbaraż incisore regni, pinscensi, sokaliensi capitaneo, Christophoro Wiesiołowski nuntiorum terrestrium marschalco, Michaele comite à Tarnow, Thoma Zamoyski knistynensi, Stanislao Przeremski opoczensi, radosycensi, Petro Ożga trembovlienski capitaneis, nuntiis terrestribus et aliis quam plurimis ex omnibus palatinatibus et districtibus ad moderna comitia congregatis.

Ioannes Octavianus Wacławowicz[45].

Sigismundus Rex.

---

4 „Jan Oktawian Wacławowicz / Węcławowicz (1571-1630) - pisarz kancelarii królewskiej. Z zamożnej rodziny krakowskiej. Studiował od 1584 w Krakowie (1591 bakałarz sztuk), później w Ingolsztadzie (1591), ponownie w Krakowie (1593 mgr sztuk i dr filozofii), Paryżu (1602 doktorat prawa kanonicznego), 1603 w Padwie, przed 1604 w Orleanie (doktorat z prawa cywilnego). 1604 nostryfikował doktoraty na Wydziale Prawa Akademii Krakowskiej. 1609 powołany do kancelarii królewskiej. Był proboszczem u św. Mikołaja i kanonikiem u św. Anny w Krakowie, od 1622 kanonikiem sandomierskim. Wiśniewski 303; SPTK IV 374; ANP I 36, 411; Muczkowski 240, 244; Żołądź-Strzelczyk 235; Czaplewski 31, 105-106." - Jujeczka, Stanisław; na podstawie kwerendy rzymskiej wykonanej wspólnie z ks. Henrykiem Gerlicem (2018) Klerycy z ziem polskich, litewskich i pruskich święceni w Rzymie (XVI – pocz. XX w.). Clerici ex terris Poloniae, Lithuaniae et Prussiae Romae seu Urbe ordinati (saec. XVI ad init. XX), Breslau: Uniwersytet Wrocławski, S. 59 ISBN: 978-83-65653-33-8.

5 „[...] Oktawian Wacławowicz, pisarz kancelarii królewskiej [...]" - Noga, Zdzisław (2010). "Budżet miasta Krakowa na przełomie XVI i XVII w.". Roczniki Dziejów Społecznych i Gospodarczych Tom LXX: 94. Polska Akademia Nauk. Instytut Historii im. Tadeusza Manteuffla PAN w Warszawie.

Transcriptio: Angel Miklashevsky (Ангел Миклашевский), Creative Commons Attribution 4.0 International (CC-BY-4.0).

Fons:

Archiwum Narodowe w Krakowie – Zespoł 29 Opis 1 Sygnatura 307 – Księgi ziemskie Krakowskie, księga 254 (Acta indicii teriestris Cracoviensis. Terminorum in particularium in Proszoviensis. Lib. LX. anno 1647; Inscriptiones et decreta terminorum districtus Proszoviensis), str. 1-2, 379-381: „Oblata Privilegii renovati super nobilitatem Miklaszewskich serviens” https://archive.org/details/archiwum-narodowe-w-krakowie-zespol-29-opis-1-sygnatura-307-ksiegi-ziemskie-krakowskie-ksiega-254